



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Amplissimo Et Religiosissimo Cardinali, Carolo Borrhomaeo, Patrono
Oitimo[sic!] P. Galesinius, Protonotarius Apostolicus. S. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

AMPLISSIMO,
ET RELIGIOSISSIMO
CARDINALI, CAROLO
BORRHOMAEO, PATRONO OPTIMO,
P. Galefinius, Protonotarius Aposto-
licus. S. D.



MAGNUM opus est, atq; dif-
ficile, Cardinalis amplissime, mā-
dare literis de rhetorica Eccle-
siastica præceptiones, easq; gra-
uissimis sententijs, & verbis le-
tissimis explicatas, ad rhetorū morem ratione
& arte distinguere. primò enim quæcunq; in rhe-
toricæ scriptonis genus cadunt, ea sanè quidem
cum innumerabilia penè sint: tum Græcis, Lati-
nisque literis partim à veteribus, nobilissimis il-
lis dicendi magistris tradita vberrimè, partim
à recentibus tractata etiam variè, non facile
profectò certa quadam via ità compræhendun-
tur, vt in omnes partes possit vsus illius Eccle-
siasticæ tractationis planè conformari. Multi-
plex est ab illis instituta de Oratoris officio
præcipiendi ratio, varia de fine quæstio, plena
concertationum de oratorijs partibus disputa-
tio. quarum partium vnaqueque cum sit ars ipsa
A 2 magna

PRÆFATIO.

magna per sese, earum omnium concursus vim maximam, maximamq; difficultatem habet. idque ex multis cognosci licet, atque ex eo in primis, quod vna sola pars ab Hermogene, homine Græco, rhetore magno, duobus; à Romanæ eloquentiæ principe, quatuor comprehensa libris, vix perfecta, & omnibus numeris absoluta videatur. de illis prætereà partibus, ex quibus oratorium opus conficitur, & quasi constat, deque earum numero item sunt opiniones eorūdem, non solum multæ, verum etiam inter se admodum dissentientes: contentioque itidem est, & ea quidem litigiosa, cum de omni alia oratoria suppellectile, tum de materia, quam tractat, & in quo tota dicendi vis versatur. hæc copiosa olim à Leontino Gorgia primùm, Protagora Abderite, & Prodico Cio proposita, valde etiã à cæteris id generis hominib. dilatata, & à Crasso oratore Romano, optimè defensa, rursus ab alijs oppugnata, angusti, ijsq; certis est conclusa finib. Plena igitur contentionis, sapientum virorum eloquentissimorumq; hominū iudicio sunt præcepta rhetorum, eaq; pleraque, et si in gymnasijs, in ymbratiliq; eorum exercitatione, aliquandò probata, sæpè tamen Ecclesiastici Oratoris vsui, aut non accommodata, aut certè planè aliena videntur. Deinde in varia illa, & ferè tota cōtrouer-

Sæ

P R A E F A T I O.

*Saistorum præceptione, illud etiã, quod in omni
 scribendi genere curã, vel difficilem, affert, ma-
 ximè inest, via scilicet, ac ratio non vna, neque
 certa, sed multiplex, & ea sanè anceps, qua expo-
 sitæ sunt rhetoricæ scriptiones. alij enim nõ Græ-
 ci modo, sed Romani, eo de genere in vtrunque
 partem differuerunt sic copiosè, vt opinionibus
 aliorũ allatis, rursusq; ijsdem refutatis loquen-
 di præcepta tradiderint, per multa aliquãdò ad
 rem oratoriam minus necessaria. alij concisè, &
 breuiter hoc ipsum scribendi argumentum com-
 plexi, ne necessaria quidem præceperunt. pleriq;
 verò, et si optimam viam aggressi, rem totã enu-
 cleatè præscripsere, nihilominus tamẽ sunt in tra-
 ctationis modo itã varij, vt interdum in præci-
 piendo sibi ipsi non constant omninò. atque id qui-
 dem in ipsis antiquis rhetorici artificij parenti-
 bus, & tanquam architectis veteris eloquentiæ,
 perspicitur. Sunt quidam prætereà recentes,
 veluti minorũ gentium scriptores, quibus osten-
 tandi ingenij sui causa, hoc maximè propositum
 fuit, veterum eorum institutis aduersari. in istis
 si rem totam spectare volumus, cum illam elo-
 quentiæ formam, & quasi faciem adspiciemus,
 pigmentis, fucoq; puerili illicitam, non veram, non
 naturalis succi plenam, non suo colore florentem,
 tũ & opus, quod de oratoria doctrina contexunt,*

PRAEFATIO.

vario certamine implicitū, & tradendi artificiū
 rationem solo repugnandi studio susceptam, per-
 obscuram illam, longeque omnium difficillimam cer-
 nemus. Quare in tanta, atque adeo varia rhetorū
 praeceptione, & in singulis partibus oratorijs,
 maximis illis explicandis, in summaque de toto ge-
 nere cōtentionis, res operosa est ac perdifficilis,
 quemadmodum exposui, omnis haec rhetorica tra-
 ctatio. Ea verò difficultas sicut maxima vide-
 tur in eloquentiae arte explicanda, ad civilium
 humanarumque causarum actionem, atque usum
 constituta: ita multis partibus maior illa sanè
 est in rhetoricae ecclesiasticae institutis ac prae-
 ceptis tradendis, quò grauiore in hac, quàm in illa,
 loci propositi sunt ad dicendum: in hac de gloria
 Dei, de animarū salute, de aeterna, vereque beata
 vita, de fidei propagatiōe, de diuinis caelestibus-
 que disseminandis virtutibus, de eripiendis vel
 morum, vel opinionum erroribus, de omnibus de-
 niq̄, copiosè, sapienter, ornatè, ac diuinitus disse-
 rendum est, quae ad hominum mentes, Euangeli-
 cis legibus & Christianis institutis conformandas
 pertinent. In illa, si publicae res spectantur, ea po-
 pulari opinione amplae causae insunt, & cōciones,
 de pace videlicet, de bello, de vectigalibus, de reb.
 tum exportandis, tum importandis, & demùm
 de legibus ferendis. at de ijs quidem ipsis cum in-
 cidit

P R A E F A T I O.

cidit fortasse locus, ecclesiastica dicendi ratione tractatur oratorie, non distinctius solum, sed & grauius, & splendidius: In priuatis autem causis fuit olim oratori forensi dicendum de stillicidiorum, parietum, luminum, testamentorum, aliarumque eius generis rerum iure. Porro longè dissimiles, ob eamque rem multò maiores sunt Ecclesiastici oratoris ij loci, de abiudicandis facultatibus, despiciendis opibus, propinquis & amicis relinquendis, honoribus contemnendis, voluptate fugienda, amplectenda humilitate, morte oppetenda, & condonandis iniurijs. Hæc itaque alia innumerabilia, vt præstantissima sunt, ita ad ea suadenda, vel persuadenda potius, maximo opus est, non illo forensi, sed Ecclesiastico, oratorio ornatu atque apparatu: qui non oranis è rhetorum officinis existere solet, sed ex illius diuinæ eloquentiæ fontibus, cuius aliqua vel adumbrata, vel planè expressa effigies apparet in antiquissimorum patrum monumentis: vnde vbertas, & quasi sylua ducta est eloquenter Ecclesiastico more dicendi. Alia etiam sunt religionis nostræ decreta, corruptæ hominum naturæ, deprauatisque moribus omnium gentium aduersa, quæ sæpè in Christiani oratoris concionem incidunt: ea cum salutariter constituta sint, necesse est sic dicantur, vt præstantiori, quàm rhetorum more fieri possit, genere ora-

A 4 tionis,

P R A E F A T I O.

tionis, ac planè diuina vi verborum expressa, illustrat aq̄ maiori sententiarum lumine, splendent, quò dilucidius & grauius propè ad aeternitatem infixæ hæreant in mentibus, animisq̄ audientium. Sæpè item à vitijs, atq̄ à turpitudine est Ecclesiastico oratori deterrenda multitudo, sæpè, atque adeò semper, ad adspiciendam beatæ vitæ lucem reuocanda, perpetuoq̄ est eadem ad Christianarum virtutum accendenda studium. Hic adhibendæ dicendi faces, nō illæ, oratorum arte excitatæ, sed Ecclesiasticæ orationis studio accensæ. Quæ præterea, & illa sanè plurima, à doctissimis hominibus, sanctissimisq̄ viris, theologicæ sciētiae magistris, rectè ac sapienter, diuineq̄ cogitata, literis mādatur sunt, eaq̄ exposita tum ad contemplationem, tum ad morum ac vitæ vsum, cum obscura sint interdum, & ad intelligendum sæpè difficilia: de ijs oratoris illius Ecclesiastici est, dilucidè posse dicere, nec sententijs solum argutè, sed verbis etiam ornatè, atque ita quidè, vt in eo, prudenter vtente literis & scientia, requiratur maior eloquēdi vis, quàm rhetoricis compræhensa sit præceptionibus. Iam verò idem, si quando sibi aduersus fidei Christianæ singulos hostes, hæreticos, Iudæos, Mahumetanos, idolorū cultores, cæterosq̄ ab ecclesia Dei dissidentes, dicendū erit, grauisimæ huius orationis

P R A E F A T I O.

aut concionis nervos ac robur assumet, nō à r̄ho-
 toribus quidem, sed à priscis patribus: qui singu-
 lari religione & sapientia viri, eloquentiæ copijs
 instructi, dimicatione suscepta p̄ veritate, sem-
 per in acie, semperq̄ in sole ac pulvere versati
 sunt. Quæ omnis res cū ità sese habeat, vt eò sci-
 licet præclariùs ecclesiastico oratori eloquēdum
 sit, eoq̄ nervosius dicendum, quò is grauiorem res-
 rum sibi genus amplissimum ad concionem consti-
 tutum esse videt: inde facile intelligi licet, quod
 iam positum est, de rhetorica Ecclesiastica præ-
 ceptionem longè difficiliorē videri, quàm altera
 est, quæ in seculari, vel ciuili oratoriè dicendi
 arte cernitur. hocq̄ etiam maximè, quòd huius
 instituta in rhetorum scholis tradita, non modò
 aliquando non conuenientia sint, sed repugnan-
 tia sapè, vt dixi, Ecclesiasticæ eloquentiæ ratio-
 ni atq̄ vsui. Id omne optimè ipse nōras, Cardina-
 lis amplissime. at, quo singulari es animi iudicio,
 sapientiãq̄ incredibili, quanquàm opus eo de ge-
 nere arduum cernebas: tamen confici idem posse,
 certa aliqua ratione iudicabas. Hoc te cogitan-
 tem multa confirmabant. primū enim illa, ab an-
 tiquis rhetoricis doctoribus tanquā instrumenta
 ad dicendū comparata, ornamenta, quibus quasi
 stellulis elucet tota eloquēdi facultas, inesse, ani-
 maduertebas cū in cæteris diuinarū literarū

PRÆFATIO.

scriptoribus, tum in *Esaia*, longè omnium eloquentissimo propheta, cuius studio potissimum delectaris. Crebra esse in omni sacro volumine non modò translata verba videbas, sed omnè orationis conformationem maxime frequentem. Illam etiã in diuinis scriptis, ac præsertim in illius gentium, populorumq; omnium doctoris, *Pauli Apostoli* epistolis expressam, quasi *Theopompeo*, *Isocrate* eq; more, numerosè dicendi scribèdiq; rationem, planè intelligebas ex sanctissimi viri, & in hac ipsa eloquentiæ doctrina multum exercitati, *Augustini* libris: qui ita ab illo circumscriptè, ac tẽ, & compositè sententias cõcludi docet, vt nihil fieri in eo genere possit vel præstãtius, vel perfectius. Tres verò eas dicendi figuras, à sapientissimis viris ad triplex illud oratoris officium excogitatas atque inuentas, planè eminere cernebas tum in aliorum *Ecclesiæ* Doctorum concionibus, tum in libris etiam eius, quem tibi proposuisti ad imitationem, sancti episc. *Ambrosij*: qui mirificus moderator, & quasi tẽperator fuit illius tripartitæ varietatis. Inventionis autem, quæ ad Christiani oratoris vsum pertinet, materiam, iam inde primum ab initio fere nascentis & adultæ ecclesiæ, vberriimè explicatam esse perspiciebas per diuinos illos religionis nostræ interpretes, nõ græcos solum, *Iustinum* martyrem, *Basilium*, *Nazianzenum*

PRAEFATIO.

num, Gregorium, Chrysoftomum, aliosq̄ veteri
 Græcia dignos, sed per Latinos etiam, in primis
 Cyprianū martyrem, Hieronymum, Gregorium
 pontificem, Ambrosium, Leonem Magnum, in
 ijsq̄ ipsum Augustinum: qui quatuor complexus
 libris eius rei tractationem, ex qua promuntur
 rationes & argumenta ad constituendas sacras
 conciones, informandæ Ecclesiasticæ rhetoricæ
 viam cæteris deinceps commonstrauit, ac patefe-
 cit. Hoc igitur opus, religiosissime, & sapiētissi-
 me Borromæe, sicut multis partib⁹ per difficile
 iam noras: ita videbas etiam notandis animad-
 uertendisq̄ veterum patrum monimētis, ijs præ-
 fertim, in quibus ecclesiasticæ eloquētiae impres-
 sa apparent vestigia, posse illud quidem perfici,
 atq̄ absolui. Id sanè cū apud te constitutum ha-
 beres, iudicaresq̄ quod mente conceperas, idem
 videlicet opus, aliquando confectum, & præcla-
 rum quoque fore, & eiusmodi omninò, cuius cū
 tractatio omnis frugifera, tum nulla pars eius fu-
 tura esset inculta: illud maximæ tibi curæ fuit,
 v̄ cōprehensa animo tuo, istius operis quasi ima-
 go, literis exprimeretur quàm diligētissimè. Ad
 quam rem perficiendā ipse sponte tuâ incitatus,
 quotidie inflammabaris vehementius, non studio
 solum, quo mirifico accensus es ad Ecclesiastica-
 rum disciplinarū propagationem, sed charitate
 illa

illa

P R A E F A T I O.

illa in primis, qua tui egregij seminarij clericos
 vnicè in Christo diligis. cum enim è re Christiana
 publica esse censeret, iam institutis Tridentini
 concilij graui decreto clericorum collegijs, tan-
 quàm virtutum, eruditionisq; sacrae seminarijs,
 ad vsum reuocari in illis veterem sanctorum pa-
 trum eloquentiam: hoc etiam in multis, quæ de eo
 tuo Mediolanensi seminario per te, magna pasto-
 ralis officij religione, rectè ac sapienter statuta
 sunt, optimū factu duxisti, vt hoc ipso in genere
 clericis, qui eo loci alerentur, esset consultum &
 accuratè, & vtiliter. Iam nanque illius eloquen-
 tia fructum vberrimū videbas, atq; vsum certè
 maximum. Itaque sicut in rhetorico certamine,
 quod de re omni oratoria magnum, variumq; sibi
 instituerūt antiqui illi dicendi magistri, atq; ad-
 eò alij, quasi veteris rhetoricæ artis emendato-
 res, etatem illos conterere, id non valde accomo-
 datum esse sentiebas disciplinarum clericalium
 rationibus: ita deliberasti, quoniã hoc vtile ma-
 ximè existimares, eosdem, cum sacrarū literarū
 studio dicendi doctrinã coniungentes, diligenter
 in curriculum versari debere ecclesiasticæ patrū
 eloquentiæ. si quidē in huius facultate exercita-
 tos eos, oratoriaq; illa concionandi copia instru-
 ctos, quam maiores illi nostri ad diuinarum rerū
 scientiã adhibuerunt, posse etiã intelligebas, pro-
 posi-

PRÆFATIO.

posita theologica thesi, nō subtiliter solum, scho-
 lasticorum more, de ea differere, verum etiam di-
 cere ornatè, copiosè, aptèq; ad populorum intelli-
 gentiã. Sapienter, vt cætera soles, hoc statueras:
 sed in præclara deliberatiõe adhuc deerat opus,
 oratorijs veterum illorum patrum institutis, at-
 que exemplis conformatum & expressum, quale
 ipse animo conceperas. Cogitas igitur de eo confi-
 ciendo: opificè, cuius industria, studioq; illud ple-
 nè absolui posset, vides planè alium neminem, nisi
 hominem & theologiæ sciëntia valdè eruditum in-
 primis, & priscorum patrum singulari quadã in-
 structum cognitione, & Ecclesiasticarum rerum
 doctrina atq; vsu peritum, & in rhetoricis poli-
 tioribusq; literis versatū diligenter: eundem de-
 niq; cum hoc etiam ad rei agenda splendorem &
 auctoritatem maximi interesse putares, virum
 grauissimum ac sapiētissimum: quarum sanè om-
 nium rerum in vno homine concursus, ancipitem
 perficiendæ rei curam afferebat. ac volente Deo,
 res ita optimè cecidit, vt maxime optabas. Pro-
 ximis annis Augustinus Valerius, episcopus Ve-
 rona, vt est amplitudinis tuæ cupidissimus, tua-
 rumq; episcopalium virtutum, quæ sunt ad omnē
 imitationis laudē maximè insignes, imitator stu-
 diosus, Mediolanū ad te venit: hanc occasionem
 ipse nactus, nihil potius habuisti, quã vt de rhe-
 torico

P R A E F A T I O.

torico Ecclesiastici generis opere scribendo cū eo
 potissimum ageres, quem nō ras nō modò eruditū,
 & diuinarū literarum, humanarumq; studio flo-
 rentem, sed virum planè optimum, plenum pietat-
 is, & omnis pastoralis officij diligentissimum. Is
 primò, qua est sapientia, rem factu difficilem vi-
 dit, nec posse perfici animaduertit, nisi multo tē-
 poris spatio multoq; studio, nec deniq; nisi summo
 otio, quod ferè nullū datur homini, dignitatem,
 ac munus episcopale gerēt. Itaq; et si ille habuit,
 quamobrem hoc scribendi munus recusaret, ta-
 men suscepit quidem nō inuitus. nam cū is ope-
 ram, studiumq; suum libenter in ijs rebus ponat,
 quibus se aliquid reip. Christianæ pdesse videt,
 tū, sibi ppositis sanctissimis, eisdemq; doctissimis
 viris, valde admodū cupit, ad catholicæ sanctæq;
 religionis disciplinā & presentes exēplo doctri-
 naq; erudire, & posteros adiuuare scriptorū suo-
 rū monumentis. Qua singulari ille volūate, tuaq;
 in primis, quā maximi facit, auctoritate impul-
 sus, ad rhetoricam ecclesiasticā conscribendam,
 hoc opus aggressus, vt præclare sanè inchoauit,
 sic benè iuuāte Deo, perfecit planè egregiè. Is nō
 peruulgatam illam ac tritam rhetorum viam se-
 cutus, sed sapientissimo cuique probatam ratio-
 nem, eamque ex Aristotelicis fontibus haustam,
 mirabiliter confectatus, in tanta, tamque varia
 & co

P R A E F A T I O.

& copiosa præceptione, modum, id quod difficile
 erat, inuenit, quo tota hæc ecclesiastica oratorie
 dicendi ratio explicaretur. Certè multarum, ma-
 gnarumq; rerũ copia à maioribus nostris, sanctis
 doctisq; viris piè admodũ & eruditè tradita est,
 ac subministrata nobis ad Eccleasticas cõciones:
 at qua via & ratiõne, omnis illa doctrinæ supelle-
 x posset ad rhetoricã dicendi præceptionem & v-
 sum accommodari, id è veteribus, vt dixi, vnus
 S. Augustinus ostēdit solũ, prætereà nemo. Nõ
 desunt autem multi, qui theologiæ locos ad dia-
 lecticorũ morem disputationibus pertractãrunt.
 quorum primus, vt ex historia Ecclesiastica à
 B. Hieronymo accepimus, Clemens Alexandri-
 nus extitit, vir apprimè eruditus. Hunc deinde
 permulti secuti sunt, homines & sanctitate, &
 doctrina præcellentes: in quibus ille ipse diuus
 Augustinus disputationes eas mirum in modum
 auxit: studiaq; earundẽ Damascenus Græcè plu-
 rimũ adiuuit, ac Latine illas cõplexus Petrus
 Lombardus, in locos itidem communes digessit:
 quorũ sanè tractationem cùm alij complures ag-
 gressi sint, tum maximè disputationibus grauissi-
 mis ac diuinis illustrauit, vir singulari doctrina
 & pietate, S. Thomas Aquin. In illa igitur theo-
 logiæ locorũ ratione sicut & multi versati sunt,
 & plurimi sanè virũ illum eruditissimum sancti-
 tatisq;

PRAEFATIO.

tisq̄ laude insignem, Augustinum sunt in eo ipso
 theologiarum questionum genere imitati: ita in
 hac rhetorica ecclesiastica tradita via, qui vel
 illius imitator fuerit, vel hoc saltem grauiter co-
 natus sit, vix penè aliū inueniamus licet, præter
 Episcopum Veronæ, Augustinum Valerium. Nō
 inficior tamē, è recentibus plerosq̄ extitisse, qui
 hoc argumentū sibi ad scribēdum proposuerint,
 sed quālōgè, quamq̄, vtiliter in eo progressi sint,
 aliorum sit iudicium. Hic verò noster, qui scili-
 cet, te potissimum auctore, hanc per difficile scri-
 ptionē suscepit, propositis sibi diuini eius viri de
 doctrina Christiana libris, quibus quasi formam
 aliquam rhetoricae Ecclesiasticae ille cōmonstra-
 uit, quod oratori ecclesiastico aliquādo vsui esse
 possit, id omne Aristotelico more eruditè percur-
 rens, distribuit prudentissimè, vt tradit accura-
 tissimè. Si interdū verbis est in præcipiendo bre-
 uis, at rerū cōprehensione certè copiosus & gra-
 uis. Personam enim induit non interpretis, sed
 auctoris: è cuius vel minima præceptiōe existat
 cōmentatio, atq̄ exercitatio doctrinae maxima.
 Quare si magnis illis viris, qui theologiae scien-
 tiam, olim à patribus fuse, lateq̄ explicatā, scho-
 lastico differendi modo articulatim distincteque
 tractari docuerunt, tantū debetur, quātum sanè
 plurimum deberi, omnes plane sciūt: profectò fa-

tea.

P R A E F A T I O.

te amur necesse est, non parùm quidem deberi huic, omni laude, omniq̃ honore dignissimo, episcopo: quibus tribus his libris, quos, te in primis suadete, de rhetorica Ecclesiastica conscripsit, quasi viam & rationem paravit, qua possit ad usum reuocari vetus illa patrum eloquentia. Poterat fortasse hoc opus ab alijs scribi, sed tantum non haberet, nec laudis, nec delectationis. Ut enim si clarorum virorum imagines ab Apelle pingerentur, aut à Lysippo fingerentur, magis animum oblectarent, magisque oculorum sensum allicerent: sic res graues cum virum magnum nanciscuntur, à quo tractentur, non modo explicantur accuratius & præclarius, sed vim illam discendi, insitam animis, cum voluptate magis accendunt. Itaque opus hoc tuum, sic enim appello, Cardinalis amplissime, quia id ipse primò mente exædificâras, cum non à quouis alio confici volueris, quàm ab sapientissimo episcopo, cuius iamdiu virtus spectata est ac nobilitata: nã ego illud spero fore & tibi, qui excogitasti, præclarum, & opifici, à quo confici voluisti, gloriosum, & clericis, quorum causa conficiendum curasti, utile admodum, & doctis omnibus, qui iam excitatam veteris Ecclesiasticæ patrum eloquentiæ lucem aspicient, non gratum modo, sed iucundum maxime. Qua sanè spe cum ego primùm essem, ad eandem sum post planè confirmatus auctoritate doctissimi

B

theo-

P R A E F A T I O.

theologi & grauissimi viri, F. Marci Veronæ In-
quisitoris, qui, cùm in ancipiti operis edendi cura
essemus, non solum id fieri suavit, sed ipse primò, te
scilicet consentiente, edendum curavit. quamob-
rè ego cùm de toto opere ità sentirem, erectiori-
spe factus illius viri iudicio, non modò volui hæc
præfari, sed operam dedi, atque effeci, vt Medio-
lani etiam, qua in vrbe operis huius quasi funda-
menta primum iacta sunt, id iam Veronæ impres-
sum, tuoq; nomini multis de causis iure optimo di-
catum, in lucem emitteretur, idq; cùm ad Dei
gloriam in primis, tum ad vniuersæ
reipub. Christianæ
vsum.

P E-